✠ JN NOMINE DOMINI, AMEN.

HEXASTYLIUM THEOLOGICUM,

In Fundamentis Obłamkovianæ Liberalitatis, Cursu Triennali Theologico Morali

ERECTUM.

SEU

CONCLUSIONES

Ex Tractatibus Sex Theologiæ Moralis, Ad Mentem D. THOMÆ Doctoris Angelici, *Ex Prima 2dæ. & Secunda 2dæ Summæ Theologicæ,*

COLLECTÆ.

QVAS

IN SUI PRÆSIDENTIA

M. JOSEPHVS WISNIOWSKI,

S. Th. Baccalaureus, Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI CANONICVS, vti ejusdem Cursûs OBŁAMKOVIANI Professor.

PROPOSUIT.

Propugnandas verò

M. BASILIUS SAWICKI,

Philosophiæ Doctor, Novodvorscianus Grammatices Professor, ejusdemq; Cursûs Auditor,

SUSCEPIT,

In Lectorio DD. Theologorum,

Anno Salutis Humanæ per Verbum Incarnatum Erectæ, 1699. Die ✺ 22. Februarij.

CRACOVIÆ, Typis VNIVERSITATIS.

Qvàm beata Domus David, ex qua prodijsti! quæ Virginei thalami MATER extitisti, quæ promissionis germen sterili ventre peperisti, ac benedictionis Frvctvm, Virginem MARIAM, vberibus Tuis nutrivisti! ex qua dulcis IESVS prodijt, cuius Virginis & gloriosùs fuit ortus, & partus mundo sublimior.

S. Ioannes Damascenus Oratione 2. de Nativitate Beatæ Mariæ Virginis.



Theologastræ Verbi Incarnati, Sterili fæcunditatis MATRI.
Statûs Conjugalis Specvlo, Vidualis Castitatis Exemplo,
FILIÆ Gazari, Tribûs Davidicæ Propagini.
Lvcernæ inextincti Luminis, & Æternorum Matri Luminum,
Dilectæ JESU CHRISTI Aviæ,
Magnæ Matris DEI Genitrici,

DIVÆ ANNÆ METTERTIÆ.

Almæ Vniversitatis Cracoviensis Patronæ, & præsenti Tvtelæ,
Fundamento Divorum in Montibus Sanctis erecto,
Vniversali Omnium Gratiarum Conclusioni,
Mearum HEXASTYLIUM Conclusionum,
In perpetuum Materni Patrocinij tutamen, & præsidium subijcio,

Minimus Clientum, M. J. W.

CONCLUSIONES
EX CVRSV THEOLOGICO MORALI.
EX PROŒMIO TRACTATIONIS.

CONCLVSIO. THeologiæ Moralis Obiectum, sunt Actus, quibus Creatura Rationalis potest ad DEVM, tanquam Vltimum Finem peruenire, & alia quæ ad hos Actus sunt necessaria, tanquam ipsorum Principia.

COROLLARIVM. Doctrina Theologiæ Moralis, ex quo constat Regulis Operandi in Genere Moris, ex eo est Practica.

EX TRACTATU I. De Fine Vltimo Hominis.

CONCLVSIO I. Datur Vltimus Finis Simpliciter Actionum Humanarum, qui est Specificativus earum.

COROLLARIA.
1. Agere Propriè & Formaliter propter Finem, soli Creaturæ Rationali, vt Homini & Angelo conuenit, non item verò Brutis.
2. DEVS in Actionibus suis Necessarijs & Immanentibus, non agit propter Finem, qui sit Finis ipsius; in Liberis tamen Actionibus operatur Propriè propter Finem, qui est vera Causa Finalis Effectûs producti.

CONCLVSIO II. Homo Efficaciter & Absolutè plures Vltimos Fines Totales & Adæquatos simul intendere non potest.

CONCLVSIO III. Homo quæcunq; Vult & operatur, licet Formaliter Vltimum Finem Formalem seu Generalem, hoc est, Beatitudinem in Communi non intendat, bene tamen Virtualiter & Interpretatiuè.

De Beatitudine Obiectiua & Formali Hominis.

CONCLVSIO IV. Beatitudo Obiectiua Hominis & *vt Quod*, est solus DEVS, vt potè summè & infinitè Bonus, Virtualiter & Eminenter omnia in se continens, Appetitumq; Rationalem perfectè satians.

COROLLARIVM. Beatitudo Obiectiua Hominis non consistit in aliquo Bono Creato, nec in Bonis Fortunæ, nec in Bonis Corporis, nec demum in Bonis Animi.

CONCL: V. Beatitudo Formalis & *vt Quo*, consistit Essentialiter in sola Actuali Operatione, seu Actu Intellectûs, qui est Clara DEI Visio, non verò in Actu Voluntatis.

COROLLARIA.
1. Operatio hæc, in qua consistit Formalis Beatitudo, est Quid Creatum.
2. Eadem Operatio producitur Efficienter à Beato, & non merè Passiuè se habet ad illam.
3. Prædicta Operatio multiplicatur iuxta pluralitatem Subiectorum, quæ ab illa dicuntur Beata.
4. Beatitudo Formalis Essentialiter consistit in Visione Divinæ Essentiæ tàm secundùm Rationem *Absolutam*, quàm secundùm Rationem *Relatiuam*, nimirum vt est in Personis.
5. Formalis Beatitudo non consistit in Illapsu DEI in Essentiam Animæ, vel eius Potentias.

De Proprietatibus Formalis Beatitudinis.

CONCLVSIO VI. Beatitudinis Formalis Proprietates sunt 4. videlicet Amor, Gaudium seu Delectatio, Impeccabilitas & Perpetuitas seu Inamissibilitas.

1. Beatus Necessariò amat Deum, Necessitate nedum *quoad Specificationem*, sed etiam *quoad Exercitium*.
2. Beatus Videns Deum, comprehendit eum, Comprehensione sumptâ pro Tentione & Adoptione eius Rei, quam quis insequitur & sperat: non verò sumptâ pro Inclusione Comprehensi in Comprehendente.

COROLLARIA. 3. Animæ Beatæ Dotes sunt 3. Visio, Comprehensio & Fruitio, seu iuxta quosdam Delectatio.
4. Corporis Glorificati Dotes sunt 4. Impassibilitas, Subtilitas, Agilitas & Claritas seu Luciditas.
5. Præter Essentialem Beatitudinem & Dotes Animæ Beatæ ac Corporis Glorificati omnibus Beatis conuenientes, dantur Aureolæ aliquibus solum, ob singularium Virtutum eximios Actus, competentes, suntq; 3. Martyrum, Virginum & Doctorum.

EX TRACTATU II. De Actibus Humanis.

De Voluntario & Inuoluntario.

CONCLVSIO I. Voluntarium Perfectum (quod nimirum procedit à Principio Intrinseco cum cognitione Finis & Circumstantiarum) in solis Actibus Humanis reperitur. Imperfectum verò etiam in Brutis, locum habet.

COROLLARIA. 1. Per id, quod dicitur Voluntarium Perfectum in solis Hominibus reperiri, non excluditur DEVS & Angeli, sed tantùm Bruta Ratione carentia.
2. Voluntarium Perfectum non est idem cum Libero, sed illud comparatur ad hoc, tanquam Superius ad suum Inferius.
3. Ratio Voluntarij perfectiùs reperitur in Actibus Necessarijs, quàm in Liberis.

CONCL: II. Voluntarium Indirectum aliàs Interpretativum potest esse sine omni Actu Formali Voluntatis.

CONCL: III. Ad Voluntarium Indirectè, seu Ad hoc, vt Omissio & Effectus ex illa sequens sint Voluntaria, requiritur Debitum seu Obligatio ponendi Actum, qui omittitur.

CONCL: IV. Voluntati, etsi quoad Actus *Imperatos* possit inferri Violentia, non tamen quoad Actus *Elicitos*.

COROLLARIA. 1. Non solùm Voluntati, quantùm ad Actus ab ea *Imperatos*, infertur Violentia, sed etiam ipsis Potentijs Inferioribus, à quibus eiusmodi Actus eliciuntur.
2. Non solùm Voluntas, sed nec vlla Creatura potest pati Violentiam à DEO.

CONCL: V. Violentia cùm procedat à Principio Extrinseco, Passo non conferente Vim, hinc est, quòd Violentia Actiuè sumpta causat Inuoluntarium Simpliciter.

CONCL: VI. Metus non causat Inuoluntarium Simpliciter, sed Ea quæ fiunt ex Metu sunt Voluntaria Simpliciter, & Inuoluntaria tantùm Secundùm quid.

COROL: In his, quæ Metu fiunt, sufficiens est Voluntarium ad Peccatum Mortale.

CONCL: VII. Concupiscentia seu Passio Vehemens non causat Inuoluntarium etiam Secundùm quid, licet interdùm Per accidens aliquid Inuoluntarij admittat.

CONCL: VIII. Ignorantia Antecedens Actum Voluntatis causat Inuoluntarium Simpliciter, obindeq; excusat à Peccato.

COROLLARIA. 1. Ignorantia Consequens causat Voluntarium Simpliciter & Inuoluntarium Secundùm quid, vnde accusat de Peccato.
2. Ignorantia Concomitans, nec Voluntarium, nec Inuoluntarium, sed Non Voluntarium causat, proinde nec accusat, nec excusat à Peccato.

De Simplici Volitione.

CONCL: IX. Obiectum Voluntatis seu Simplicis Volitionis est solum Bonum prout abstrahit à Vero & Apparenti.

COROLLARIVM. Voluntas non potest ferri in Malum sub ratione Mali.

CONCL: X. Voluntas sumpta pro Potentia Volitiua respicit non solum Finem sed etiam Media. Sumpta verò pro Primo Actu suo, sic respicit solum Finem vt Obiectum Adæquatum.

COROLLARIVM. Cùm Omnis Actus Voluntatis necessariò versetur tantùm circa Finem vel circa Media, consequenter non datur Actus neuter ab vtroq; horum abstractus & distinctus, ad quem Voluntas terminetur.

De

De Motiuo Voluntatis.

CONCLVSIO XI. Voluntas mouetur ab Intellectu *Quoad Specificationem* Actûs in Genere Causæ Finalis & Formalis Extrinsecæ, dum per apprehensionem Obiecti applicat & proponit ei id, quo tàm ipsa, quàm Actus eius specificentur Formaliter.

COROLLARIA.
1. Voluntas mouetur etiam ab Appetitu Sensitiuo Ex parte Obiecti, sed Indirectè ac Mediatè & manente Ratione liberâ.
2. Voluntas mouet etiam seipsam, & alias Potentias *Quoad Exercitium* de Potentia ad Actum Physicè & Effectiuè Actum Volitionis virtute suâ intra se eliciendo. Non tamen mouet Potentias Animæ Vegetatiuæ.
3. Etiam à DEO mouetur Voluntas ad operandum non solùm Moraliter & Ex parte Obiecti ab Intellectu specificati, sed etiam Physicè & Ex parte ipsius Potentiæ Volitiuæ.
4. Insuper eadem Voluntas mouetur quoq; ab Angelis, imò & à Corporibus Cælestibus ad Volitionem alicuius Finis, ast Indirectè & Per accidens.

CONCL: XII. In Processu Agentis Intellectualis, Actus Intellectûs & Voluntatis præcipui numerantur 8. videlicet Simplex Volitio, Intentio, Consilium, Consensus, Electio, Imperium, Vsus & tandem Fruitio.

1. Simplex Volitio est ipsius Finis.
2. Intentio est Formaliter Actus Voluntatis circa Finem tàm Vltimum, quàm Non Vltimum, vt per Media Efficaciter obtinendum, ex directione Intellectûs proueniens.
3. Consilium est Inquisitio Mediorum & Iudicium Rationis Practicæ de Conuenientia & Bonitate eorum, quando Res est dubia & momenti alicuius.
4. Consensus Voluntatis est Approbatio Mediorum propositorum eorumq; Acceptatio tanquam vtilium & conducentium ad Finem præintentum.
5. Electio est Actus Voluntatis præsupponens Actum Intellectûs, circa Media, quorum vnum acceptat præ alio in ordine ad Finem.
6. Imperium (quod Substantialiter est Actus Intellectûs, Necessariò præsupponens Actum Voluntatis) est Ordinatiua cum Motione quadam Intimatio alicuius Operis exercendi.
7. Vsus est Actus Voluntatis applicans cæteras Potentias ad operandum.
8. Fruitio est Delectatio ex Amore & præsentia ac possessione Rei amatæ causata. Vnde Perfecta Fruitio est solum Vltimi Finis obtenti, qui solus totaliter satiat & quietat Appetitum.

COROLLARIVM. Ex his Ad Ordinem Intentionis pertinent 5. nimirum Simplex Volitio, Intentio, Consilium, Consensus & Electio. Ad Ordinem verò Executionis 3. Imperium, Vsus, & Fruitio.

De Moralitate, seu Bonitate & Malitia Actvum Humanorum in Genere.

CONCLVSIO XIII. Ad Moralitatem Actvum Humanorum omninò requiritur Libertas, non tamen est ipsa Moralitas Formaliter.

XIV. Ad Humanorum Actvum Moralitatem, seu Ad Meritum vel Demeritum, non sufficit Libertas *Spontaneitatis* seu à Coactione, sed requiritur Libertas *Indifferentiæ* seu Contingentiæ.

XV. Vt Actus Humani sint Moraliter Boni aut Mali, Meritorij vel Demeritorij, non requiritur necessariò Libertas Contrarietatis seu *Specificationis*, sed sufficit Libertas *Contradictionis* seu Exercitij.

XVI. De Essentia Libertatis est Indifferentia *Contradictionis*, seu Potestas ad agendum, vel non agendum: & non est necessaria Indifferentia *Contrarietatis* ad Bonum vel Malum.

XVII. Moralitas Actvum Humanorum adæquatè diuiditur in Bonitatem & Malitiam Moralem, adeoq; Indifferentia non est Species Moralitatis, media inter Bonitatem & Malitiam.

XVIII. Moralitas Actvum Humanorum consistit Formaliter in Relatione Transcendentali Actûs liberi ad Regulas Morum.

CONCLVSIO XIX. Regulæ Moralitatis Actvum Humanorum sunt Duæ. *Vna est* Prima, Remota & Extrinseca, nimirum Lex Æterna in Mente DEI existens. *Altera* verò Proxima & Intrinseca ac in Homine residens, nempe Dictamen Rectæ Rationis, prout prædictam Legem participat, eiq; subordinatur.

XX. Formale illudq; Primum & Essentiale Specificativum Moralitatis Actvum Humanorum est Obiectum, vt consonum vel dissonum Regulis Morum.

XXI. Actus Humani etiam aliquam Bonitatem vel Malitiam Accidentalem desumunt à Circumstantijs, tanquam Accidentibus Prædicamentalibus eosdem Actus Moraliter afficientibus, Quæ communiter numerantur 7. *Quis, Quid, Vbi, Quibus Auxilijs, Cur, Quomodo, Quando.*

XXII. Desumunt interdum, Actus Humani suam Bonitatem vel Malitiam à Fine Extrinseco *Operantis* bono vel malo, distinctam ab ea, quam habent Ex Obiecto & Fine Intrinseco *Operis.*

XXIII. Idem Numero Actus Humanus simul & eodem Tempore non potest habere diuersas Species Moralitatis, & esse Bonus ex Obiecto, Malus verò ex Fine. Vel è contra Malus ex Obiecto & Bonus ex Fine.

COROLLARIA.
1. Idem Actus Externus potest successiuè transire de Bono in Malum.
2. Idem Actus potest simul habere duas Species Bonitatis, vel duas Species Malitiæ.
3. Quando Actus habet Obiectum Secundùm se Bonum & simul Finem Bonum, tunc simul duas habet Species Bonitatis Moralis.
4. Quando Obiectum est Bonum & Finis Malus, tunc Actus ratione ipsorum non duas habet Species In Genere Moris, sed vnam duntaxat quam desumit ex Fine.
5. Actus habens Obiectum & Finem Malum, ratione vtriusq; duas simul habet Species Malitiæ Moralis.

XXIV. Dantur Actus Humani ad Bonitatem vel Malitiam Moralem Indifferentes Secundùm suam Speciem. Nullus tamen datur Actus Indifferens Secundùm Indiuiduum, sed necessariò debet esse determinatè Bonus, vel determinatè Malus.

De Moralitate Actûs Interioris & Exterioris, Voluntatis.

CONCLVSIO XXV. Actus Interior Voluntatis debet esse conformis Conscientiæ, vt pote quæ Est Iudicium Intellectûs Practici dictans de Bonitate vel Malitia eorum, quæ *Hic & Nunc* à nobis sunt agenda.

COROLLARIA.
1. Conscientia nedum Recta, sed etiam Erronea semper obligat, ne contra ipsam faciamus, adeo vt semper sit Malum Conscientiæ etiam Erroneæ resistere, aut contra eam agere, nisi priùs deponatur.
2. Contra Conscientiam Practicè dubitantem de Bonitate vel Malitia Actûs operari non licet.
3. Jntentio Boni Finis non excusat Malitiam prauæ Electionis. Et sic ea quæ sunt Intrinsecè Mala, vt Mendacium, Furtum, Homicidium, &c. ex nullo Bono Fine honestari possunt.

XXVI. Licitum est sequi Conscientiam & Opinionem Probabilem asserentem posse aliquid licitè fieri.

COROLLARIA.
1. In Rebus Dubijs & in Opinionum Probabilium conflictu, non licet sequi Opinionem minus Probabilem fauentem Libertati, in concursu alterius Probabilioris, quæ fauet Præcepto.
2. Quando occurrunt Duæ Opiniones in Materia Morum æquè Probabiles, seu habentes Rationes æquales, quarum vna non præponderat alteri, tunc eligenda est tutior, & minus tutæ præferenda.

XXVII. Actus Exterior, qui est mera executio Interioris Actûs Voluntatis, non addit illi Bonitatem vel Malitiam Moralem Intrinsecam: sed Actus Exterior gaudet tantum Bonitate vel Malitiâ ab Actu Voluntatis Interiore seu Imperante desumpta.

COROLLARIVM. Actus Exterior non addit Actui Interiori Voluntatis Bonitatem vel Malitiam Simpliciter in Ordine ad Præmium vel Pænam Essentialem, sed solùm Secundùm quid, & in Ordine ad Præmium vel Pænam Accidentalem.

De

De Virtutum in Communi Natura, Subiecto, & Divisione.

CONCLUSIO I. Virtus Theologicè sumpta rectè definitur à D. Augustino, quòd sit Bona, Qualitas mentis, quâ rectè vivitur, quâ nullus malè vtitur, & quam DEUS in nobis, sine nobis operatur.

COROL: Virtus Humana est Habitus Operativus, & cum Potentijs Per se Primò concurrit ad Bonitatem Moralem Actuum Humanorum, & ad eorum facilitatem ac delectabilitatem; Secundariò Vero tantùm ad Entitatem Physicam substratam Bonitati Morali Actûs, eiusq; facilitati.

CONCL: II. Subiectum Virtutis Simpliciter sumptæ, est Intellectus vt mobilis à Voluntate per affectum Boni honesti & Moralis.

CONCL: III. Virtus rectè dividitur in Intellectualem, Moralem & Theologicam. Quarum *Intellectualis* perficit Intellectum ad Cognitionem Veri, subdividiturq; in 5. Habitus Intellectuales. *Moralis* complet Voluntatem ad prosecutionem Boni honesti. subdividiturq; in 4. Virtutes Cardinales. Et tandem *Theologica*, quæ circa Deum Immediatè versatur. subdividiturq; in Fidem, Spem & Charitatem.

COROLLARIA.
1. Inter Morales & Theologicas Virtutes hoc intercedit Discrimen, quòd illæ in Mediocritate consistunt, & fugiunt Excessum vel Defectum, non verò istæ.
2. Virtutes Morales in Statu perfecto, ita sunt inter se connexæ, vt qui vnâ careat, nullam perfectè habeat.

EX TRACTATU III. De Peccatis.

CONCL: I. Vitia & Peccata sunt disconvenientia Naturæ Humanæ, nedum vt Rationalis est, sed etiam vt Sensitiva, idq, si spectetur secundùm inclinationem Universalem.

CONCL: II. Essentiale est cuilibet Peccato esse contra rectam Rationem & Legem Æternam, consequenter esse Iniuriam & Offensam DEI.

CONCL: III. Omnia Peccata non sunt inter se connexa, & non sunt æqualia in Malitia & Gravitate.

COROLLARIA.
1. Peccatum quod opponitur Virtuti præstantiori, est gravius Simpliciter & secundùm Speciem.
2. Peccatum aggravatur non solùm ratione Personæ in quam peccatur, sed etiam ex magnitudine Personæ peccantis.
3. Peccata Mortalia De facto privant Gratiâ Dei, & inducunt Reatum Pœnæ Æternæ; secùs verò Venialia.
4. Inæqualitatem Peccatorum Mortalium sequitur Inæqualitas Pœnarum in Inferno, non solùm quoad Pœnam *Sensûs*, sed etiam quoad Pœnam *Damni*.

CONCL: IV. Distinctio Specifica Peccatorum desumitur ex *Obiectis* in quæ tendunt, non verò ex *Præceptis* quibus opponuntur.

COROLLARIA.
1. Peccatum tantò est gravius, quantò Obiectum eius est peius.
2. Gravitas *Essentialis* & Primaria Peccatorum sumitur ex Obiecto, *Accidentalis* verò & Secundaria ex Circumstantijs non mutantibus Speciem.

De Subiecto Peccatorum.

CONCL: V. Subiectum Peccati non solum est Voluntas, sed quantùm ad Malitiam *Formalem* Peccatum subiectari quoq; potest Intrinsecè in Appetitu Sensitivo, quantùm autem ad Malitiam *Moralem* quam importat, etiam in Intellectu: non item verò in Membris Corporis, aut in Sensibus Externis.

CONCL: VI. Motus Sensualitatis inordinati circa Obiecta illicita, & Lege Dei prohibita, *Plene deliberati* sunt Peccata Mortalia, *Secundo primi*, Venialia. *Primoprimi* autem nec Mortalia, nec Venialia.

De Causis Peccatorum.

CONCL: VII. Ignorantia *Vincibilis*, ex parte Intellectûs, est Causa Peccati, non quidem

Directè & Per se, sed Indirectè & Per accidens, seu vt Removens prohibens, nimirùm Scientiam.

COROLLARIA. { 1. Jgnorantia *Invincibilis* & Antecedēs non est Causa Peccati, imò ab eo excusat.
2. Nullum vnquā contingit in Voluntate Peccatū absq; prævio Intellectûs defectu.

CONC: VIII. Passio seu Concupiscentia ex parte Appetitûs est etiam Causa Peccati, non quidem Directè sed Indirectè.

COROL: Passio Antecedens seu antevertens Voluntatem & Iudicium Rationis, alleviat Peccatum & interdùm excusat ab eodem; Consequens verò Voluntatem & Rationem, aggravat idem Peccatum.

IX. Malitia ex parte Voluntatis etiam est Causa Peccati.

COROL: Peccatum *Ex Malitia*, cùm fiat nullâ impellente Passione, sitq; magis voluntarium, obinde gravius est Peccato *Ex Passione*.

X. Deus Gloriosus nec Directè, nec Indirectè seu Per accidens, potest dici Causa Peccati.

XI. Diabolus tamen per modum proponentis Obiectum Malum & excitantis Appetitum Sensitivum est Causa Peccati.

De Peccato Originali.

CONCL. XII. Peccatum *Originale* traducitur ab Adamo in posteros per Generationem & Seminalem propagationem.

COROL. Pueri non solùm ex Infidelibus, sed etiam ex Fidelibus nati contrahunt Peccatum Originale, imò omnes Adæ posteri huic Peccato sunt obnoxij, nisi Speciali Privilegio sint exempti, vt Beatissima Virgo Maria ab æterno præservata. S: verò Joannes Baptista & Ieremias Propheta ex post in vtero Matris sanctificati.

CONCL: XIII. Essentia *Originalis* Peccati est Privatio Iustitiæ Originalis, Voluntaria nobis ex Vi Peccati Adæ, in quantum aufert Effectum Primarium talis Iustitiæ communem ipsi & Gratiæ Sanctificanti, qui est, Sanctificare & Rectificare Animam in Ordine ad Deum.

XIV. Subiectum Immediatum Peccati *Originalis* est Anima, secundùm suam Essentiam, vt pote capax Culpæ.

XV. Effectus Originalis Peccati *Ratione Animæ* est subtractio Iustitiæ Originalis tàm secundûm Essentiam, quàm secundùm Partem Superiorem Potentiarum Animæ, inter quas reperitur Inordinatio propter illa Quatuor Vulnera, qualia sunt, Ignorantia in Intellectu, Malitia in Voluntate, Infirmitas in Appetitu Irascibili, & Rebellio Concupiscentiæ in Appetitu Concupiscibili, seu Habitualis Inclinatio ad Bonum Sensibile Rectæ Rationi repugnans, vulgò *Fomes Peccati*.

XVI. Ratione *Corporis* Effectus Peccati Originalis sunt Dolores, Necessitas Moriendi & aliæ Vitæ huius Pænalitates.

De Peccato Commissionis & Omissionis.

CONCL. XVII. Peccatum *Commissionis*, (quod fit contra Præceptum Negativum) in ratione Mali Moralis non constituitur per Privationem, sed per Aliquid Positivum, quod est Ordo & tendentia Realis, Actûs Humani ad Obiectum, vt Regulis Morum, Legi scilicet Divinæ & Rationi dissonum.

CONCL. XVIII. Omissio *Culpabilis* [quæ fit contra Præceptum *Affirmativum*] non potest dari sine Actu præcedente aut concomitante, qui sit Causa vel Occasio omittendi.

De Peccato Mortali & Veniali.

CONCL. XIX. Peccatum *Mortale* in ratione Offensæ continet Malitiam & Gravitatem *in Esse Moris* Simpliciter Infinitam.

COROL: Mortaliter peccans Ultimum Finem in Creatura Virtualiter saltem & Interpretativè constituit.

CONCL. XX. Peccatum Veniale disponit Indirectè ad Mortale; nunquam tamen potest ita ag-

ita aggravari, vt transeat in Mortale, neq; ex multis Venialibus potest vnquam fieri vnum Mortale.

XXI. Peccatum *Mortale* ex se & ex Malitia sua Intrinseca, tametsi præter Corruptionem Naturæ, inducat Maculam seu privationem Nitoris Gratiæ Sanctificantis, & insuper Reatum Pænæ Æternæ tàm *Damni* quàm *Sensûs*. *Veniale* tamen Peccatum Reatum Pænæ solùm Temporalis trahit.

Ex TRACTATU IV. De Legibus.

CONCL: I. Lex *Humana* est quædam Regula & Mensura Actuum Humanorum, secundùm quàm inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur.

CONCL. II. Lex eiusmodi consistit Essentialiter in Actu Jmperij Jntellectûs Practici, Præsuppositivè tamen & De Connotato importat Actum Voluntatis.

III. Leges debent esse firmæ ac permanentes, durareq; ac obligare debent, quoadusq; revocentur.

IV. Leges debent ferri pro tota Communitate, ad quam Iure Naturæ pertinet easdem condere, ordinanturq; semper ad Bonum Commune.

V. Ut Lex Actualiter obliget sibi subditos etiam in Foro Interno, necesse est vt sufficienter promulgetur Communitati.

VI. Officia Legis præcipua sunt Duo, s. Dirigere & Obligare. Effectus verò præcipuus est Reddere Homines bonos.

VII. Actus Legis sunt Quatuor, Præcipere, Prohibere, Permittere & Punire.

VIII. Lex *Æterna* est Ratio Divinæ Sapientiæ existens in Deo ab æterno, secundùm quod est Directiva omnium Actuum & Motionum singularum Creaturarum in Ordine ad Bonum Commune totius Universi.

IX. Omnis Lex, in quantum habet rationem Legis & participat Rationem rectam, derivatur, ast diversimodè, à Lege Æterna, cui omnia quæ sunt in Rebus, sive Necessaria, sive Contingentia, subijciuntur.

X. Lex *Naturæ* est judicium, seu dictamen Rationis Naturalis Practicæ, à Natura seu Authore Naturæ nobis inditum, quâ quis judicat Bonum esse prosequendum & Malum fugiendum.

XI. Omnia Præcepta Decalogi [excepto *Tertio* De Sanctificatione Sabbathi] pertinent ad Legem Naturæ.

XII. Omnes Actus Virtutum Moralium, si spectentur secundùm suam rationem Genericam, seu vt sunt Virtuosi, sunt De Lege Naturæ. Non verò si considerentur secundùm seipsos & in proprijs Speciebus.

XIII. Lex Naturalis etsi Propriè per Cessationem, vel per Abrogationem, aut per Dispensationem mutari nequit, bene tamen Impropriè, in quantùm variatur Materia Legis propter aliquas Circumstantias occurrentes. Unde nonunquam eget Declaratione & Interpretatione.

XIV. Ad Legem *Humanam*, [quæ nimirùm fertur ab Homine legitimam potestatem habente] sicut non pertinet Actus omnium Virtutum præcipere, sed tantùm eos qui ordinantur ad Bonum Commune; ita non pertinet ad eandem omnia Vitia prohibere, sed tantùm ea, quæ Bono Publico adversantur.

COROLLARIA.
1. Legislator tamen *Ecclesiasticus* habet potestatem ad prohibenda omnia Peccata Mortalia.
2. Lex Humana non potest præcipere aut prohibere Actus purè Internos, qui nullam cum Exterioribus Connexionem habent, Nec illos qui tantum Per accidens cum illis coniunguntur, Benè tamen illos, qui Per se requiruntur ad integritatem Exteriorum in Genere Moris.

XV. Lex Humana tàm *Civilis*, quàm *Ecclesiastica* habet vim & efficaciam Obligandi *ad Culpam* & in Foro Conscientiæ si Materia sit gravis; imò interdùm obligare potest ad sui Observantiam cum periculo ac dispendio Vitæ.

XVI. Lex *Pœnalis* est, quæ Præcepto vel Prohibitioni expresse apponit Pœnam. Obligat autem non solùm ad Pœnam, sed etiam ad Culpam, nisi Legislator contrarium expresserit.

XVII. Lex *Pœnalis*, ante Sententiam Judicis, obligat in Foro Conscientiæ ad Pœnas Passivas seu Privativas, vt sunt Excommunicatio, Irregularitas, Suspensio, Privatio Vocis Activæ & Passivæ: non tamen ad Pœnas Activas, quæ requirunt aliquam Actionem Executivam, ut sunt Pœna Mortis, Exilij aut Spoliationis Bonorum.

Corol: Transgressor Legis *Pœnalis*, post Sententiam Judicis tenetur in Conscientia subire Pœnam Legis illam, quæ ad sui Executionem requirit Actionem, quæ commodiùs exercetur ab ipso Reo. v. g. Pœnam Exilij, vel Pœnam Pecuniariam. Non tamen tenetur ad Pœnam illam, ad cuius Executionem requiritur Actio, quæ commodiùs exercetur à Judice vel eius Ministro. v. g. Non tenetur seipsum Occidere, Mutilare aut Venenum sumere.

XVIII. Non solùm subditi, sed etiam Principes & Legislatores subduntur Legibus suis, quantùm ad Vim *Directivam*, sed non quoad *Coactiuam* seu *Coërcitiuam*.

XIX. Peregrini & omnes itinerantes obligantur ad servandas Leges Territorij non proprij, sed illius per quod transeunt.

XX. Lex Humana mutari, abrogari imò & dispensari potest ex iusta & rationabili Causa, dum occurrit evidens Necessitas & Boni Communis vtilitas.

XXI. Per *Epykiam*, seu prudentem Legis interpretationem licet interdùm agere contra Verba Legis, si tunc observatio Literalis esset Communi Bono & Saluti perniciosa.

XXII. *Consuetudo*, quæ est Jus quoddam, moribus & Actibus bonis totius Communitatis introductum, potest habere vim Legis, quâ singuli de Communitate obligentur, non secùs ac Lege Scriptâ.

XXIII. Lex *Vetus* verè à Deo vt ab Authore & Legislatore tradita fuit Moysi per Angelos in Monte Synai & ab eodem Judæis promulgata.

Corol. Lex *Vetus* tametsi fuit Bona & Sancta, Comparativè tamen ad Legem *Euangelicam*, imperfecta fuit. Legis siquidem Veteris Sacramenta significabant tantùm Gratiam, Evangelicæ autem non solum Moraliter, sed etiam verè & Physicè eandem producunt.

XXIV. Præcepta Legis Veteris rectè dividuntur in *Moralia*, *Cæremonialia* & *Iudicialia*.

Corol: Omnia Præcepta *Moralia* Veteris Legis reducuntur ad 10. Præcepta Decalogi, quorum Tria Primæ Tabulæ ordinantur ad Deum, reliqua Septem Secundæ Tabulæ ad Proximum.

XXV. Lex Vetus abrogata est quoad Præcepta *Cæremonialia* & *Iudicialia*, non tamen quoad *Moralia*.

Corol. Lex Vetus tametsi desijt ac mortua fuit in ipsa Christi Domini Morte, non tamen fuit mortifera nisi post sufficientem Evangelij promulgationem per totum Mundum.

XXVI. Lex *Noua* seu *Euangelica* à Christo Domino instituta continet Præcepta Triplicia. videlicet *Moralia*, *Sacramentalia* & *Fidei*.

EX TRACTATU V. De Virtutibus Theologicis.
De Fidei Natura, Obiecto & Subiecto.

Concl: I. Fides, in quantùm Virtus *Theologica*, est Habitus Supernaturalis, quo certò credimus Veritates à Deo revelatas propter Authoritatem Dei obscurè Revelantis.

II. Fides tàm *Formata*, quæ nimirum informatur Gratiâ Habituali & Charitate, quàm *Informis* ijsdem spoliata, est Vere & Propriè Virtus. *Informis* tamen non est Virtus Perfecta.

III. Obiectum Materiale Fidei sunt omnia quæ Divinâ Revelatione nobis innotescunt.

IV. Obiectum Formale *Quod*. Fidei est Deus sub ratione Primæ Veritatis *In Essendo*.

V. Obiectum Formale *Sub Quo* Fidei, seu Motivum eius Formale, est Infallibile Testimonium Dei Revelantis tanquam Primæ Veritatis *In Cognoscendo* subindeq; *In Dicendo*, summam & infinitam eius Sapientiam connotantis.

1. Fidei

COROLLARIA.
1. Fidei Divinæ & Infusæ nunquam potest subesse Falsum.
2. Obiectum Fidei debet esse Obscurum, seu Non Visum.
3. Mysteria Fidei nostræ vt pote Obiecta, licet sint in se Obscura, sunt tamen Euidenter Credibilia.
4. Actum Fidei & Scientiæ vel Claræ Visionis de eodem Obiecto repugnat simul esse in eodem Intellectu.
5. Obiectum Fidei in Symbolo Apostolorum seu in Articulis Fidei contentum, nunquam creuit quantùm ad Substantiam, sed solùm quantùm ad Explicationem.

VI. Illud in quod Fides vltimò resoluitur tanquam in Rationem Formalem, est Diuina Reuelatio Testificans.

VII. Regulæ Fidei, quibus infallibiliter proponitur, sunt Quinq; nimirum Scriptura Sacra Veteris & Noui Testamenti, Traditio, Ecclesia, Summus Pontifex Romanus, & Concilia Generalia legitimè celebrata.

VIII. Subiectum Fidei *Quo*, est Intellectus Creatus vt motus & determinatus à Voluntate. Subiectum verò *Quod*, est Angelus & Homo Viator, quibus ad eliciendum Actum Fidei infunditur à DEO Habitus Fidei.

IX. Fides Theologica, non solùm Intensiuè sed etiam Extensiuè, potest esse maior in vno Catholico, quàm in altero.

X. Habitus Fidei remanet in Peccatoribus, Gratiâ Sanctificante & Charitate spoliatis, imò & in Animabus in Purgatorio existentibus.

XI. In Hæreticis, etiamsi Vnum tantùm Fidei Articulum discredant, non remanet Habitus Fidei Infusæ, nec in Dæmonibus, aut damnatis qui fideles fuerunt, imò nec in Beatis.

XII. Effectus Fidei est Duplex. Timor scilicet Seruilis & Filialis. Deinde Purificatio Cordis.

De Actu Fidei tàm Interno quàm Externo.

XIII. Actus *Internus* Fidei Supernaturalis omnibus adultis Simpliciter necessarius est ad Iustificationem & Salutem, non tantùm Necessitate *Præcepti*, sed etiam Necessitate *Medij*, ita vt sine illo in Re habito iustificari & saluari non possint, Ordinariè loquendo.

XIV. Ad eliciendum Actum *Internum* Fidei prærequiritur Pia Motio Voluntatis, Intellectum ad Credendum determinantis; ad hanc verò Motionem non requiritur Habitus Virtutis in Voluntate existens, sed sufficit Auxilium DEI Actuale.

COROLLARIA.
1. Actus Fidei, procedens à Charitate, est Meritorius, quâ seclusâ, nullum est Meritum Præmij Supernaturalis, sed solùm Naturalis.
2. Humana Ratio inducens ad ea quæ sunt Fidei, si antecedat Voluntatem Credentis, minuit Meritum Fidei; si verò consequatur eandem, non diminuit, quinimò auget idem Fidei Meritum.

XV. Actus *Exterior*, seu Externa Fidei Confessio necessaria est ad Salutem Necessitate *Præcepti* tàm *Affirmatiui*, hoc est de Fide exteriùs confitenda, dum id necessarium est, quàm *Negatiui*, seu de Fide exteriùs non neganda, & nihil vnquam agendo exterius, quod Fidei repugnat.

XVI. Præceptum *Externæ* Confessionis Fidei *Affirmativum*, licet obliget Semper, non tamen pro Semper, sed pro Loco & Tempore. *Negativum* verò obligat, Semper & pro Semper.

De Infidelitate in Communi.

XVII. Infidelitas *Positiua*, vt repugnat Fidei, est Peccatum. *Negatiua* autem non est Peccatum, sed potiùs Pæna Peccati Originalis.

XVIII. Infidelitas rectè diuiditur in Hæresim, Iudaismum & Paganismum.

COROLLARIA.
1. Infidelitas si consideretur quoad Modum renitendi Fidei, tunc grauius est Peccatum Hæresis Iudaismo, & Iudaismus Paganismo. Si verò consideretur Ex parte Materiæ seu Articulorum Fidei quos negat, tunc grauius est Peccatum Paganismus Iudaismo, & hic quàm Hæresis.
2. Non omnis Actio Infidelis, est Peccatum.

XIX. Infideles baptiſati, qui aliquando Fidem ſuſceperunt & ab ea defecerunt, po ſunt imò & debent cogi, vt relictis erroribus ad Veram Fidem redeant.

XX. Infideles non baptiſati, ſiue ſint ſubditi Principibus Chriſtianis, ſiue non, *Ina rectè* poſſunt cogi ad Fidem ſuſcipiendam.

XXI. Pueri Iudæorum & aliorum Infidelium, inuitis Parentibus, ante Vſum Ratio nis non ſunt baptiſandi.

XXII. Communicatio Fidelium cum Infidelibus baptiſatis Vg: cum Hæreticis in Ma trimonijs haberi poteſt: cum Infidelibus tamen Non baptiſatis contrahun tur Inualidè.

XXIII. Contractus Ciuiles vt ſunt Emptio & Venditio Rerum ad bonum vel malum indifferentium, licitè cum Infidelibus fieri poſſunt.

XXIV. In Cauſis ſeu Operibus Infidelitatis, vel Ritvum aut Superſtitionis, Fideli cum Infidelibus communicare non licet.

De Hæreſi.

XXV. Hæreſis propriè conſiſtit in Errore Voluntario, contra Veritatem Fidei, cum pertinacia.

XXVI. Hæretici, qui Internam Hæreſim Exteriùs produnt Dicto, Facto, vel Nutu ſufficienter illam exprimente, iuſtè puniuntur tàm Pænis Spiritualibus Eccleſiaſticis, quàm Pænis Ciuilibus, in omnibus Bonis Temporalibus, videlicet Honore, Fortunis & Vita.

COROLLARIA.

1. Hæretici *Externi* & manifeſtati, ipſo Facto ſunt excommunicati Excommunicatione latæ Sententiæ, vnde nonniſi à Papa aut etiam Epiſcopo, in Foro Conſcientiæ à Crimine Hæreſis abſolui poſſunt.
2. Hæretici purè *Mentales*, qui nimirum Hæreſim ſuam dictis modis exteriùs non produnt, ſed intra Conſcientiam contegunt, Excommunicationem dictam non incurrunt; ideoq; à quouis Confeſſario approbato ſine vllo Priuilegio, abſolui poſſunt.

XXVII. Reuertentes ab Hæreſi, præſertim poſt Secundam Correptionem, recipiendi ſunt ab Eccleſia quoad Pænitentiam ſeu Bonum Spirituale, non tamen quoad Bonum Temporale & Vitam.

De Apoſtaſia & Blaſphæmia.

XXVIII. Apoſtaſia rectè diuiditur in Apoſtaſiam à Fide, à Religione & ab Ordine: quarum Prima multo grauior eſt Hæreſi.

XXIX. Princeps propter Apoſtaſiam à Fide quamcitò denunciatur Excommunicatus, ipſo facto amittit Dominium in ſubditos, ita vt ei obedire non teneantur.

XXX. Blaſphæmia eſt locutio contumelioſa, quâ derogatur Diuinæ Bonitati, vel negando aliquid de DEO quod ei conuenit, Vel aſſerendo de DEO, quod Excellentiæ illius non conuenit, Vel tribuendo Creaturæ, quod DEO proprium eſt.

De Spei Natura, Obiecto & Subiecto.

CONCLVSIO I. Spes Chriſtiana eſt Habitus Infuſus, per quem Voluntas firmiter tendit in DEVM, vt in Bonum arduum, futurum, conſequi poſſibile ipſius DEI auxilio.

CONCLVSIO II. Obiectum Formale *Quod*, ſeu Terminativum Spei Theologicæ eſt DEVS vt clarè Videndus & Amandus.

CONCLVSIO III. Ratio Formalis *Sub Qua* ſeu Obiectum Motivum Spei Theologicæ eſt Omnipotentia DEI vt Auxilians in ordine ad Beatitudinem æternam.

CONCLVSIO IV. Subiectum Spei *vt Quo* eſt Appetitus Rationalis ſeu Voluntas. Subiectum verò *vt Quod* eſt Homo Viator qui nondum peruenit ad Terminum.

CONCLVSIO V. Spes in omnibus Fidelibus in quantùm Viatoribus inuenitur, tametſi aliquo Peccato Mortali, quod non ſit *Deſperationis*, ſint infecti.

CONCLVSIO VI. Habitus Spei Theologicæ non remanet in Beatis.

CONCLVSIO VII. In Hæreticis & Infidelibus, cùm non reperiatur Fides, quæ eſt Spei fundamentum & Subſtantia ſperandarum rerum, proinde nec reperitur in iiſdem Virtus Spei Theologica.

CONCLU: VIII. Spes non remanet in damnatis, bene tamen in Animabus in Purgatorio exiſtentibus.

De

De Desperatione & Præsumptione.

CONCL. IX. Desperatio est defectus Spei, quo quis falsam de DEO existimationem habet, quòd Peccatori pænitenti Veniam deneget, vel quòd Peccatorem ad se per Gratiam Iustificantem non conuertat.

X. Desperatio est certissima in damnatis, qui etsi non sperent, non eis imputatur *ad Culpam*, sed est pars damnationis ipsorum.

XI. Præsumptio est nimia fiducia de DEI Bonitate & Misericordia, dum quis sperat se Veniam consecuturum sine Pænitentia, vel Gloriam sine meritis, ac sine Voluntate Obseruandi Mandata DEI.

De Charitatis Natura, Subiecto & Obiecto.

CONCLVSIO XII. Charitas Theologica est Habitus Supernaturalis inclinans ad amandum DEVM super omnia, Amore Amicitiæ.

XIII. Charitas est vera Amicitia inter DEVM & Homines iustos.

COROLLARIA.
1. Charitas Habitualis quâ DEVM diligimus, non est ipsemet Spiritus Sanctus Actum Dilectionis in nobis per seipsum immediatè Operans, sed est Qualitas ab eo producta.
2. Charitas est Forma quædam in Genere Moris Omnium Virtutum.
3. Charitas est perfectior & præstantior Virtutibus nedum Moralibus, sed etiam Theologicis Fide & Spe.

XIV. Subiectum *Inhæsionis* Charitatis Theologicæ est Voluntas *Denominationis* verò est Homo Viator, Animæ in Purgatorio existentes, Angeli in Cælo ac Beati omnes, exceptis damnatis tàm Angelis quàm Hominibus.

COROLLARIA.
1. Charitatis Quantitas non infunditur secundùm aptitudinem & capacitatem Naturæ, sed ex solo Beneplacito Spiritûs Sancti infundentis.
2. Charitas Habitualis Viæ & Patriæ est eadem Specie & Numero Virtus, *In Esse Physico* spectata, tametsi differant *In Esse Morali*.

XV. Charitas Habitualis *In Statu Viæ*, Ex parte Subiecti augeri potest Intensiuè, etiam in Infinitum, non tamen Charitas *Viæ* potest adæquari Charitati *Patriæ*.

COROLLARIA.
1. Augmentum Charitatis sicut & Gratiæ in Hominibus iustis fit Ordinariè per bona Opera Virtutum, vel per Instrumenta aliqua ad hunc Effectum à DEO instituta.
2. Actus Charitatis licet Remissi, augmentum Habitûs Charitatis & Gratiæ merentur.
3. Actui Remisso Charitatis non statim confertur Augmentum Habitûs, sed solùm quando Homo elicit Actum Intensiorem, quo se disponit ad Augmentum Habitûs eiusdem.
4. Habitus Charitatis, sicut & aliarum Virtutum *Infusarum*, non augetur nostris Actibus Efficienter & Physicè, sed à solo DEO; à nobis verò Moraliter tantùm idq; Dupliciter, Dispositiuè scilicet & Meritoriè.
5. Charitas amittitur per quemuis Actum Peccati *Mortalis*, non item verò *Venialis*.

XVI. Obiectum Formale *Primarium* Charitatis Habitualis est DEVS, vt in se infinitè Bonus, obindeq; Diligibilis super omnia; *Secundarium* verò eius Obiectum est Proximus, qui diligitur propter DEVM.

COROLLARIA.
1. DEVM Obiectiuè atq; Appretiatiuè priùs & magis Amare tenemur, quàm vllam Creaturam.
2. Habitus Charitatis de Necessitate extendit se etiam ad Dilectionem Inimicorum.
3. Idem Habitus extendit se quoq; ad Dilectionem Peccatorum, si considerentur Secundùm *Naturam*, non autem Secundùm *Culpam*.
4. Habitu Charitatis etsi diligendi sint etiam Angeli, non tamen Dæmones quà tales sunt.
5. Charitas vt se extendit ad DEVM & Proximum, est Virtus Vnius & eiusdem Speciei Athomæ.

De Actibus seu Effectibus Charitatis.

CONCLVSIO XVII. Actus seu Effectus Charitatis rectè numerantur 7. Dilectio, Gaudium Spirituale, Pax, Misericordia, Beneficentia, Eleemosyna & tandem Correptio Fraterna.

XVIII. Vitia tàm Charitati quàm Effectibus illius Opposita conuenienter assignantur hæc. Dilectioni opponitur Odium. Gaudio Acedia & Inuidia. Paci Discordia, Contentio, Schisma, Bellum, Rixa & Seditio. Beneficentiæ, tandem & Correptioni Fraternæ opponitur Scandalum.

EX TRACTATU VI. De Iustitia, Restitutione & Iustitialibus Obligationibus.

CONCLVSIO I. Justitia rectè dicitur esse Perpetua & constans Voluntas, Ius suum vnicuiq; tribuens.

CONCL: II. Justitiæ Obiectum *Formale* est Ius seu Iustum, prout dicit Æqualitatem ad alterum. *Materiale* verò *Proximum* sunt Actiones Humanæ *Remotum* autem sunt Res externæ, conditione suâ directæ ad alterum.

COROLLARIA.
1. Justitia non versatur circa moderandas Passiones Animæ, nonnisi Remotè seu mediantibus aliis Virtutibus Moralibus.
2. Medium Iustitiæ, est *Medium Rei.* Medium autem aliarum Virtutum Moralium, est *Medium Rationis.*
3. Præcepta Decalogi sunt Præcepta Iustitiæ.

III. Subiectum Iustitiæ est Appetitus Rationalis seu Voluntas, quâ mediante reddimus vnicuiq; quod suum est.

IV. Justitia rectè diuiditur in Partes Subiectiuas seu Species suas, nimirum in *Commutatiuam, Distributiuam* & *Legalem.*

COROLLARIA.
1. In Iustitia Commutatiua Medium sumitur *Arithmeticum,* In Distributiua autem *Geometricum.*
2. In Iustitia Commutatiua & Distributiua Iustum, est idem quod Contrapassum, *Non Simpliciter,* vt quis repatiatur idem in Genere & Speciè quod fecit, *sed Æquiualenter* & Secundùm Proportionem.

De Dominio.

CONCLVSIO V. Dominium rectè dicitur esse Ius In Re, seu Facultas propria vtendi Re in quemuis vsum Lege permissum, tanquam in proprium Commodum.

VI. Dominium vt sic sumptum diuiditur in *Iurisdictionis* & *Proprietatis,* quorum illud subdiuiditur in Sæculare & Ecclesiasticum, hoc verò in Perfectum & Imperfectum.

VII. Subiectum Dominij veri Temporalis est Omnis Homo, & hic quidem solus inter Creaturas Corporales habet earum Dominium.

COROLLARIA.
1. Homo præter Dominium Bonorum Temporalium, etiam Famæ ac Honoris sui Verus est Dominus.
2. Homo Vitæ suæ non est Dominus, sed tantùm Custos & Vsufructuarius.
3. Dominium strictè sumptum distinguitur ab Vsu.

De Iudicio.

CONCL: VIII. Judicium importat rectam determinationem eius quod Iustum est. *Propriè* Est Actus Iustitiæ ab eiusdem Habitu procedens.

IX. Judicium circa Materiam Iustitiæ, *Elicitiuè* procedit ab eâ Parte Prudentiæ quæ dicitur Synesis, Intellectuiq; inexistit; *Dispositiuè* autem ab Habitu Iustitiæ in Voluntate residente.

X. Judicare etsi licet Iudici contra Veritatem quam nouit, propter allegata & probata; potest tamen ac debet pro tunc priuatâ Prudentiâ vti ad diligentiùs examinandas Probationes, & ad inuestigandum earum defectum.

1. Aduocatus grauiter peccat, si Scienter, Iniustam Causam defendit, & tenetur ad Restitutionem Damni, quod ex ipsius patrocinio sentit Pars Aduersa.

2 Iu-

COROLLARIA.
2. Judicium *Vsurpatum* est iniqvum, obindeq; non tantùm est Nullum, sed etiam ex suo Genere est Peccatum Mortale.
3. Judicium tam *Forense*, quàm *Priuatum* procedens ex Suspicione orta ex leuibus indicijs, si sit deliberatum & in Re Graui, etiam est Peccatũ Mortale.
4. Jn Iudicio *Personarum*, sed non in Iudicio *De Rebus*, Dubia sunt in meliorem partem interpretanda.

XI. Jniuriæ Verborum quæ inferuntur Extra Iudicium, sunt Quinq; nimirum Contumelia, Detractio, Susurratio, Derisio, & Maledictio.

COROLLARIVM. Audiens Voluntariè Detrahentem & eum tolerans, Grauiter peccat, si potest ei vel tenetur ex Officio resistere.

De Vitijs Oppositis Iustitiæ.

CONCLUSIO XII. Justitiæ soli Strictè sumptæ nullum opponitur Vitium *Per Excessum*, sed tantùm *Per Defectum*.

COROLLARIVM. Justitiæ *Legali* Oppositum Vitium est Legalis Iniustitia, vulgò dicta Illegalitas. Iustitiæ *Distributiuæ* opponitur Acceptio Personarum. *Commutatiuæ* tandem contrariantur Omnia illa Vitia vel Peccata, quæ Proximo inferunt nocumentum, siue in Vita, vt Homicidium, siue in Honore vt Contumelia, Detractio, Maledictio, siue in Bonis Externis, vt Furtum, Rapina, Fraudulentia, Vsura & similia.

XIII. Sola Actio iniusta ex Intentione & Electione facta, constituit Hominem & Actum eius iniustum.

COROLLARIA.
1. Sicut nullus potest facere Iniustum (Per se & Formaliter loquendo) nisi Volens; ita nullus potest pati Iniustum, nisi Nolens.
2. Jniustitia Legalis, respiciens neglectum Boni Communis tanquam suum Obiectum, *Principaliter* in Præside Communitatis ex Vi Officij, *Executiuè* autem in Subditis existentem, quantùm ad Intentionẽ est Vitiũ Generale.
3. Jus *Distributivum* Violatum in distribuendis Officijs Publicis, & in Bonis Fortunæ Communibus Reipublicæ tàm *Sacræ*, quàm *Profanæ*, Violatorem facit obnoxium Restitutioni.
4. Acceptio Personarum Iustitiæ *Distributiuæ* Opposita, si sit ad Bonum *Commune* ordinata, non est Peccatum. Secùs verò ad Bonum *Priuatum*, si non attendatur ad Meritum & Idoneitatem eius cui datur, sed ex alia Causa humani respectûs impertinenti ad Causam dandi.
5. Jn Iustitia Generaliter idq; circa eandem Materiam sumpta, Peccatum *Transgressionis*, quod versatur duntaxat circa Præcepta *Negatiua*, Grauius est Peccato *Omissionis*, quod solùm extendit se ad Præcepta *Affirmatiua*.

De Homicidio.

CONCLVSIO XIV. Malefactores tantùm, idq; Principibus & Iudicibus Authoritatem Publicam habentibus, non verò Priuatis Personis, occidere licet.

XV. Non licet in Foro Conscientiæ Patri occidere Filium, aut Adulterum in scelere comprehensos, ante Sententiam legitimè latam.

XVI. Defensio Vitæ propriæ, cum moderamine *Inculpatæ tutelæ* & absq; Intentione occidendi Hominem, est licita.

XVII. Casualiter & Inuoluntariè occidens Hominem, Reatum Homicidij non incurrit, nisi ad hoc euitandũ minùs diligens fuerit, vel Rei illicitæ operam dederit.

XVIII. Etiam Mutilatio est illicita, nisi sit ob Bonum Publicum, vel ob sanitatem Corporis, cum consensu Medici.

XIX. Occidere quæcunq; Viuentia propria tametsi licitum sit, in occidendis tamen Animalibus abstinendum est à Crudelitate.

XX. Jncarcerare, Ligare aut qualitercunq; Detinere quempiam illicitum est, nisi id fiat à Iudice in Pœnam, vel ad cautelam Mali alicuius vitandi.

De Furto.

CONCLVSIO XXI. Furti Generaliter accepti Species rectè assignantur Sex, videlicet Simplex Furtum, Peculatus, Plagiatus, Sacrilegium, Abigeatus & Rapina.

XXII. Ad hoc, vt Furtum sit Peccatum Mortale, requiritur Materiæ notabilis Quantitas, arbitrio Prudentis pro varia Personarum aut Locorum Conditione determinanda.

XXIII. Quæ nullius vnquam fuerunt, vt Gemmæ & Lapilli pretiosi in Littore Maris inuenti, talia de toto Occupanti conceduntur. Thesauri tamen antiquitùs defossi, & in loco alieno, casu inuenti dimidium, æquè Domino Loci, ac Inuentori cedere debet.

XXIV. Piscatio in fluminibus, æquè sicut Aucupium & Cæsio Lignorum in Syluis Communibus, si ad Vsus sibi duntaxat necessarios, & præter magnam stragem fiat, Peccatum Mortale non importat.

XXV. Milites, prædas ex hostibus reportantes in Bello iusto, Iure Gentium capiunt easdem, Rapinam non committentes.

De Venditionibus.

CONCLVSIO XXVI. Fraude adhibitâ, Rem *pluris* iusto pretio vendere, aut *minoris* iusto emere, Peccatum est ex suo Genere Mortale.

XXVII. Vitium Rei Venalis si sit occultum, priusquam vendat eandem Venditor, tenetur illud dicere: non item verò si sit manifestum, aut minuat pretium eius, quantùm æquitas postulat.

XXVIII. Vendere aut Emere Rem vnam pro alia, non in debita Mensura ac Rei Qualitate, illicitum est & peccaminosum.

De Vsura.

XXIX. Vsura, hoc est Pecuniæ Vsus, cùm Per se sit malus, ideò prohibetur Iure *Naturali* ac *Positiuo*, eoq; non solum *Humano*, sed etiam *Diuino*, estq; Peccatum.

XXX. Propter exspectatam solutionem, Vendere Rem pluris Iusto, Secundùm se Vsura est.

De Restitutione.

CONCLVSIO XXXI. Restitutio, quæ est Actus Iustitiæ *Commutatiuæ*, quô Res ab alijs accepta redditur, vel Damnum illatum æquiualenter compensatur, Necessaria est ad Salutem Necessitate *Præcepti*.

XXXII. Qui lædit Proximum in Bonis *Animæ*, cuiuscunq; sint Generis & Ordinis, ipso nesciente vel contradicente, ac proinde per vim & per fraudem vel dolum, siue id fiat *Directè* siue *Indirectè*, tenetur ei ad Restitutionem faciendam ex Lege Iustitiæ, & multò magis ex Lege Charitatis. tenetur enim ipsum restituere perfectæ Libertati, vel fraudem & dolum aperire; imò tenetur ad completam Restitutionem, si Damnum Temporale ex huiusmodi læsione proueniat.

COROLLARIA.

1. Si quis ademerit Vsum Rationis ab aliquo Voluntariè quocunq; Modo, vel impedierit ad Tempus notabile, (vg. veneficijs turbando Phantasiam) & hic patiatur detrimentum Temporale, quia non potest exercere suum Officium, Iudicis vg. vel suam Artem, illi facienda est Restitutio quantùm sufficit ad Arbitrium Viri Prudentis, puta secundùm Conditionem Personæ, Temporis, Modi, &c. Si autem detrimentum redundat ad Cōsanguineos taliter læsi, tunc eis facienda est eiusmodi Restitutio.
2. Si quis pertraxerit Proximum ad perpetrandum aliquod Crimen per vim, aut per fraudem & dolum, & inde proueniat ei aliquod damnum Temporale, tenetur ex Iustitia, amotâ vi & fraude, eidem facere Restitutionem vel in Bonis *Fortunæ*, vel in Restitutione *Bonæ Famæ*. Et similiter facienda est Restitutio alijs, ad quos tale damnum redundaret.
3. Si quis deliberatè pertrahit Proximum ad peccandum, propter quod amittit Gratiam; si taliter pertrahens intendat amissionem Gratiæ aut Offensam DEI, Grauiùs peccat, quàm si occidisset, aut Bona omnia Externa abstulisset.
4. Qui alterum trahit ad peccandum, sine vi & dolo, Peccato tali quod alijs non noceat, in vim Restitutionis tenetur eum reuocare à Peccato, Consilio saltem & Bono Exemplo.

XXXIII.

XXXIII. Qui lædit Proximum in Bonis *Corporis*, tenetur ei ad Reſtitutionem in eodem Genere Boni, quando eſt poſſibile. Vnde ſufficienter ſatisfacit ſubeundo Pœnam à Iudice taxatam; damnum autem ex læſione proueniens tenetur ipſi Proximo & interdùm eius Hæredibus neceſſarijs recompenſare.

COROLLARIA.
1. Si Homicida, Mutilator, vel qui læſit Proximum in Bonis *Corporis* moriatur, tenentur Hæredes ex Bonis eius Reſtituere & damnum illatum recompenſare.
2. Si duo conſentientes mutuæ prouocationi ſe lædant in Bonis *Corporis*, non tenentur ſibi ad Reſtitutionem. Quod ſi vnus tantùm ex illis ſit Prouocans, tenetur ad Reſtitutionem, ſi læſerit prouocatum ad certamen coactum.

XXXIV. Qui læſit Proximum in Honore & Bona Fama, tenetur ei ad Reſtitutionem etiam quoad omnia damna ex illorum ablatione ſecuta.

COROLLARIA. Infamatus, ſi ſit Perſona *Priuata*, poteſt condonare Obligationem Reſtituendi Famam ſuam. Secùs verò ſi ſit Perſona *Publica*, vt Prælatus, cuius Infamia redundaret in ſubditos. & ſimiliter ille, qui haberet Famam ſuam alijs obligatam.

XXXV. Qui læſit Proximum in Bonis *Fortunæ*, tenetur ei ad Reſtitutionem in eodem Genere Bonorum ſi ſit poſſibilis, vel æquiualenti quopiam ſatisfaciendo, etiam cum æquali detrimento proprij commodi.

COROLLARIA.
1. Qui emit Rem Furtiuam, tenetur illam Reſtituere Domino ſuo, tum quoq; Fructus eius quos ex ea percepit, ſi per hoc factus eſt locupletior.
2. Qui damnum infert alteri Voluntariè tenetur ad Reſtitutionem eius in quo damnum intulit, ſiue ad damnificantem aliquid iſtius Rei peruenerit, ſiue non.
3. Qui rem alienam detinet inuito Domino, peccat, & ad Reſtitutionem pro omni Tempore obligatur; niſi aliàs petat dilationem ab eo, cui debet.
4. Depoſitum abſq; Culpa Depoſitarij ablatum, non obligat eundem ad Reſtitutionem Deponenti illud faciendam: Secùs autem dicendum, ſi Depoſitarius cum magna ſua Culpa Rem depoſitam amitteret.
5. Omnis Cooperans Furto, quocunq; modo & ex Intentione deliberata, ſeu Qui iniuſtæ acceptionis eſt Cauſa Directa vel Indirecta, tenetur ad Reſtitutionem, etiamſi ad ipſum nihil Rei alienæ peruenerit.

Porrò talis Cooperatio, ne dum Furto, ſed alijs etiam Peccatis communis ſit 9. Modis ſequenti Diſticho comprehenſis.

Iuſſio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus
Participans, Mutus, Non obſtans, Non manifeſtans.

APPENDIX. De Gratijs gratis datis. Et *Primò* De Prophetia.

CONCLVSIO I. Prophetia eſt Inſpiratio vel Reuelatio Diuina, per quam tum Futura Contingentia prænoſcuntur ac prædicantur, tum alia quæ Naturalem noſtram Cognitionem ſuperant, cognita annunciantur.

CONCLVSIO II. Prophetia ratione Obiecti rectè diuiditur in Prophetiam *Prædeſtinationis* DEI, *Præſcientiæ*, & *Comminationis*.

COROLLARIA.
1. Prophetica Reuelatio hominibus à DEO fit Angelorum miniſterio.
2. Ad Prophetiam non requiritur aliqua præcedens Diſpoſitio Naturalis, ſed ex ſolâ Spiritûs Sancti Voluntate hominibus infunditur.
3. Viſio Prophetica etſi interdùm fiat per Abſtractionem à Senſibus Exterioribus, non tamen ſemper.
4. Viſio Prophetica non eſt ipſius Diuinæ Eſſentiæ Viſio; neq; in ipſa Diuina Eſſentia vident ea, quæ vident, ſed in quibuſdam ſimilitudinibus ſecundùm illuſtrationem Diuini Luminis.

De Raptu.

CONCLVSIO I. Raptus eſt Animæ humanæ ad Diuina & Supernaturalia cognoſcenda Eleuatio facta Virtute Diuinâ, cum abſtractione à Senſibus.

COROLLARIA.
1. Videre DEUM per Essentiam impossibile est Homini Viatori, nisi abstrahatur à Sensibus.
2. Raptus, Propriè loquendo, solùm pertinet ad Vim *Cognoscitiuam*, non verò ad *Appetitiuam*.
3. Supra Extasim, quam Amor Divinus facit, Raptus addit quandã Violentiã.

De Gratia Miraculorum.

CONCLUSIO I. Præter Linguarum & Sermonis Gratiam, Ad Fidelium ædificationem quibusdam hominibus Spiritûs Sancti opere gratis datam, superadditur ad Sermonis confirmationem Gratia Miraculorum.

CONCLUSIO II. Mali, inuocato Nomine Christi vel Sancti alicuius in Vera Fide, ad confirmationem Doctrinæ vel Sanctitatis Veræ duntaxat & Non falsæ, possunt Miracula facere.

COROLLARIUM. Quæ fiunt à Dæmone, non sunt Vera Miracula, quia fiunt Virtute Causarum Naturalium.

De Officijs & Statibus Hominum.

CONCLUSIO I. Ad Ecclesiæ DEI perfectionem & decorem, decuit in ea diuersorum Officiorum & Statuum Munera diuersis Personis distributa inueniri, pro diuersitate multarum Actionum, quæ in illa sunt necessaria.

CONCLUSIO II. Status notiores ac celebriores reperiuntur potissimùm Tres, *Coniugatorum* videlicet, *Religiosorum* & *Episcoporum*, quorum singuli suos habent Gradus & Officia.

De Perfectione in Communi.

CONCLUSIO I. Perfectio Vitæ Christianæ Specialiter attenditur secundùm Charitatem, quàm secundùm alias Virtutes.

CONCLU: II. Perfectio Vitæ Christianæ Per se & Essentialiter consistit *in Præceptis*, Secundariò autem & Accidentaliter *in Consilijs Euangelicis*, vt pote quæ sunt Media ad illam.

DEO Patri Ingenito, FILIO Unigenito,
SPIRITUI Sancto Paraclito,
Immensæ, Æternæ, Beatæ, Semperq; Adorandæ
Sacrosanctæ & Individuæ TRINITATI,
Omnis Perfectionis Fonti,
Æternus sit Honor
& Sempiterna Veneratio.

SUB FELICISSIMO REGIMINE,
Magnifici, Perillustris, & Reverendissimi Domini,

D. M. SEBASTIANI PISKORSKI,

I. V. Doctoris & Professoris, Ecclesiarum, Cathedralis Cracoviensis & Vielunensis CANONICI, SS. OO. ARCHIDIACONI, Scholarum Novodvorscianarum PROVISORIS, Studij Almæ Vniversitatis Cracoviensis PROCANCELLARII, GENERALIS ac VIGILANTISSIMI RECTORIS.